

obstat rationi factæ, quia, ut dixi, Christus non constituitur filius per hanc gratiam; et quamvis constitueretur, adhuc secundum illam non esset filius adoptivus, quia non extrinsecus omnino advenit, sed est connaturalis Christo, non quidem ut necessario manans ab unione, id enim necessarium non est, sed ut proveniens ab aliqua forma intrinseca, et connaturali ipsi Christo, et non ex mera liberalitate, neque ex quacunque congruentia, sed ex quodam debito connaturalis et intrinsecæ proportionis, adeo ut esset miraculum, et quasi portentum quoddam et monstrum, sine gratia habituali relinquere humanitatem Verbo unitam, qui modus connaturalitatis adoptioni repugnat.

18. Et juxta hanc interpretationem amplianda est major propositio in prædicta ratione assumpta, scilicet, filium adoptivum prius natura existere quam adoptetur, non solum formaliter, sed etiam radicaliter, id est prius natura existere quam in se habeat aliquam formam, ratione cujus illi sit intrinsece debitum et connaturale, ut illi talis filiatio conferatur. Quo sensu verissima est illa propositio, ex prædicto fundamento, quod filius adoptivus est persona extranea, et ex se omnino aliena a filiatione; si autem ex se haberet unde illi esset debita et connaturalis, non esset revera extranea respectu talis formæ et filiationis; sic igitur Christus ut hic homo sub nulla ratione prius natura existit non filius, et ideo non potest in posteriori signo naturæ per gratiam adoptari in filium. Denique, si argumenti vis procedat de humanitate ipsa, quia illa revera prius natura existit quam sit grata tam per gratiam habitualem quam per gratiam unionis, et quam illi sit debita alterutra ex his gratiis, fortasse, qui docent humanitatem trahi ad existendum per ipsam gratiam unionis formaliter, consequenter negarent assumptum, quia non prius natura est quam sit unita, et consequenter nec prius natura est quam sit grata et deificata per unionem. Ego vero concedo, prius natura existere quam sit grata; sed hactenus non dixi ad adoptionem sufficere, quod aliquis prius natura existat quam sit acceptus vel adoptatus; sed dixi hoc requiri; unde, licet hoc humanitati conveniat, non sequitur adoptari, quia id non satis est ad adoptionem. Deinde, ex illo principio ad summum potest inferri humanitatem Christi non esse filiam naturalem Dei, quod verissimum est, non solum quia est incapax filiationis, eo quod

non sit persona, sed tantum natura, verum etiam quia de se est extranea, et prius natura existit quam sit natura Filii Dei. Ex hoc vero quod non sit filia naturalis Dei, vel (ut proprius dicam) quod non sit essentia naturalis Deo, non sequitur esse adoptatam, non solum quia adoptari non proprie convenit naturæ, sed personæ; sed maxime quia inter illa duo, scilicet, adoptari, et esse illo modo naturalem, potest dari medium, ut statim dicam.

19. *Tertia ratio exponitur.* — Tertia ratio ex præcedente formari potest, quia si Christus, ut homo, est filius adoptivus Dei, vel id est per gratiam habitualem, vel per gratiam unionis: neutrum dici potest; ergo. Major evidens est, quia omnis adoptatio, etiam humana, fit per aliquam gratiam, ut gratia dicit benevolentiam et gratuitam voluntatem; divina autem, quæ perfectissima est, includit etiam aliquam gratiam intrinsecam adoptato, ab illa Dei voluntate manantem, ut in Commentariis articulorum declaratum est, et infra iterum dicam; hæc autem gratia non potest alia excogitari, vel saltem non est a Deo hactenus communicata, nisi vel accidentaliter creata sanctificans, vel substantialiter increata et unionis. Minor quoque prioris partem de gratia habituali probata sufficienter est, quia gratia habitualis supponit in Christo debitum ejus, estque illi connaturalis. Item supponit jam filium per gratiam unionis, et ideo non facit filium, juxta dicta sectione præcedente; et ideo nec filium adoptivum facere potest. Quoad aliam partem de gratia unionis, probabitur latius sectione sequenti, ubi ostendatur, gratiam unionis non esse adoptionem. Nunc breviter declaratur, quia adoptio non producit (ut ita dicam) seu non constituit personam quæ per illam adoptatur, sed advenit illi jam alias genitæ; sed gratia unionis constituit Christum ut hominem; ergo non potest per illam adoptari.

20. Si quis autem recte consideret, tota hæc ratio nititur in priori; ideo enim per gratiam habitualem non adoptatur Christus ut homo, quia non est extraneum suppositum vel subjectum respectu gratiæ, sed quasi proprium et connaturale, modo supra explicato, quæstione septima, vel (quod idem est) quia supponit filium, qui non potest esse extraneus, nec iterum adoptione filius fieri; gratia autem unionis ideo non potest esse adoptio respectu Christi, quia non respicit illum ut personam extraneam cui adveniat, sed

potius respicit illum ut personam intrinsece per illam resultantem.

21. *Quarta ratio expenditur.* — Quarta ratio adduci solet, quia adoptio non facit inter adoptantem et adoptatum unionem secundum rem, sed secundum affectum tantum; unio autem hypostatica fecit in Christo non tantum conjunctionem affectus, sed etiam ut humanitas in eadem persona cum divina natura conveniret, atque adeo ut Deus et homo una esset persona; ergo hic homo Christus etiam ut homo non est adoptatus; nam, ut dixit Concilium Francoford., dicta epistola: *Unitas personæ, quæ est in Dei Filio et filio Virginis, adoptionis tollit injuriam.* Quæ quidem ratio directe et immediate procedit de humanitate Christi; et ideo illam ex professo tractabimus sectione sequente, non enim difficultate caret. Applicata vero ad Christum ut hominem, imprimis supponit illud principium in prima principali ratione positum, quod adoptio versari debet circa personam extraneam, eam liberaliter ac gratuito acceptando ad hæreditatem. Imo, si recte consideremus, illa unio secundum affectum nihil aliud est quam hæc liberalis acceptatio, ut in humana adoptione constat; in divina autem altiori modo est intelligenda, ut sequenti sectione exponam. Ideo autem hæc conjunctio per liberalem acceptationem necessario intercedere debet, quia persona, quæ adoptatur, aliena est, et ex se extranea semper manet respectu hæreditatis; et ideo oportet ut ex gratuita benevolentia ad illam admittatur. Deinde, hæc ratio immediate solum probat, Christum ut hominem non esse adoptatum ad esse personale Filii Dei, quia, quantumvis sumatur Christus ut homo, est una persona cum Filio Dei; non vero probat illa ratio per se sumpta, Christum ut hominem non esse adoptatum ad æternam beatitudinem, quia, si supponeremus, non obstante unitate personæ Christi Dei et hominis, Christum ut hominem neque esse beatum, neque habere intrinsecum aliquod jus ad hæreditatem illam, utpote si fingamus nullo modo esse illi debitam ratione unionis, tunc revera non repugnaret hæc adoptio ad illam hæreditatem cum unitate personæ Dei hominis, quia licet quoad unitatem personæ esset realis unio, et non tantum affectiva inter humanam et divinam naturam, et personalis unitas inter Deum et hominem, tamen, quantum ad acceptandum Christum, ut hominem, ad beatitudinem, esset inter Deum et Christum ut sic unio tantum affectiva;

quia neque Christus ut homo ex se habere jus ad illam hæreditatem, ut supponitur, neque ad illam admitteretur, nisi per extrinsecam Dei benevolentiam, et infusionem accidentalium donorum, quo modo alii homines adoptantur.

22. Ut ergo ratio probet, necessario addendum est illud fundamentale principium, quod Christus, etiam ut homo, non est persona extranea respectu hæreditatis æternæ; quia si talis esset, quamvis alioqui haberet realem unionem vel unitatem cum Deo, posset ad illam hæreditatem adoptari. Sicut in adoptione humana, etiam si nepos sit sanguine conjunctus avo, adoptari potest ad hæreditatem ut filius, quatenus sub tali ratione extraneus est, et ab illa hæreditate alienus. Unde fit ut, non obstante conjunctione sanguinis vel alia reali unione, possit adjungi alia unio affectiva respectu hæreditatis, quæ, si non sit debita, nec cum priori unione ex natura rei necessario conjuncta, veram habeat rationem adoptionis. Igitur non potest hæc ratio esse efficax sine prima, eique adjungendum est hoc principium, quod jus ad æternam hæreditatem necessario consequitur in assumpta natura ex hypostatica unione, sine quo non video quomodo possit efficaci ratione a Christo ut homine excludi filiatio adoptiva. Nam quod quidam aiunt, etiam si gratia et gloria non essent Christo debita ratione unionis, non posse ratione illarum adoptari, vel filium esse adoptivum, quia gratia (inquiunt) est perfectio humanitatis, filiatio vero pertinet ad suppositum secundum se, hoc (inquam) non est consequenter dictum, et ratio illa satis est in superioribus impugnata; imo est ostensum, beatitudinem æternam, cum in operatione consistat, et jus ad illam, non minus pertinere ad suppositum quam filiationem, utrumque autem mediante natura ut gratia affecta. Item, posita illa hypothesi, Christus ut homo non esset filius per gratiam unionis, quia non esset hæres ex vi illius; ergo indigeret benevolentia extrinseca, et per solam illam, seu gratiam ab illa manantem haberet jus ad beatitudinem; hoc autem est esse filium adoptivum.

23. *Quinta ratio minus efficax.* — Quinta ratio addi solet in hunc modum: nam humanitas Christi non est adoptata; ergo nec Christus ut homo est adoptatus, et consequenter nec filius adoptivus. Antecedens probabitur ex professo infra, sect. 4; consequentia vero probatur, quia, sicut Christus non potest dici



homo, nisi ratione naturæ humanæ, ita nec potest dici adoptatus, nisi ratione naturæ adoptatæ. Hæc vero ratio, proprie et in rigore sumpta, efficax non est, quia vel consequentia non est formalis, vel plane in tota ratione petitur principium, nisi aliqua via ad fundamentum a nobis positum reducat. Cum enim sumitur humanitatem non esse adoptatam, aut est sensus, non esse id quod proprie adoptatum est, aut non esse rationem, qua mediante Christus ut homo adoptatur, vel (ut ita dicam) non esse coadoptatam cum Christo ut homine. Primus sensus videtur esse propriissimus illius antecedentis, quod in eodem sensu verissimum est, ut citato loco ostendam; tamen consequentia non recte inferitur, quia etiam in puro homine humanitas non adoptatur, neque a Deo, neque ab homine; et in universum (ut dicta sect. 4 ostendam) humanitas non est capax adoptionis, donec personata sit; et tunc jam non est ipsa quæ adoptatur, sed homo, quamvis per ipsam seu in ipsa adoptetur, et illa etiam possit aliquo modo dici coadoptari, quando homo adoptatur. Quod si hoc etiam modo antecedens illius rationis intelligatur juxta posteriorem sensum supra positum, est quidem illud etiam in eo sensu verum, sed inutile ad probandam conclusionem intentam; nam, vel supponit illam, vel ex illa probandum est. Si enim humanitas Christi adoptari non potuit concomitanter (ut sic dicam), ideo est quia Christus ut homo adoptari non potuit, nam humanitas non coadoptatur, nisi cum homo adoptatur. Et similiter, si Christus non fuit in humanitate adoptatus, id non potuit ex humanitate provenire, nam ipsa, quantum est de se, adoptabilis est, ut quo (ut sic dicam). Quod si in Christo non potuit eam rationem exercere, est ratione personæ, quæ omnem naturam sibi personaliter conjunctam, reddit incapacem adoptionis. Hoc tamen non aliunde habet, nisi quia non est persona extranea aut aliena, non solum secundum se, sed etiam ut unita cuicumque naturæ, nec solum quoad esse substantiale et personale, sed etiam quoad divinam hæreditatem, ut participabilem in assumpta natura. Hoc enim, ut dixi, semper addere oportet, ut concludatur intentum; quia alias ad summum probabitur, Christum ut hominem non esse adoptatum ad esse personale Verbi, de quo fere nulla est inter Catholicos controversia, sed de adoptione ad hæreditatem æternam. Unde, licet demus humanitatem non esse adoptatam ad

unionem hypostaticam, adhuc superest quæstio an Christus, ut subsistens in ipsa, sit adoptatus ad hæreditatem æternam.

24. Sextam rationem nonnulli viri docti addunt, quia filiationis adoptiva dicit respectum ad totam Trinitatem; sed Christus, in quantum homo, non potest dici filius Trinitatis; ergo nec potest dici filius adoptivus. Major constat ex D. Thoma hic, art. 2, ubi probat, adoptare filios esse opus totius Trinitatis. Et est per se manifestum, quia est opus ad extra. Minor probatur, quia alias Christus, in quantum homo, esset filius Spiritus Sancti, et filius sui ipsius, quod est contra Concilium Toletanum, et Augustinum. Sed hæc ratio, si efficax esset, non solum probaret Christum, ut hominem, non esse filium adoptivum, sed etiam nullo modo esse aut vocari posse Filium Dei, nec naturalem, neque ulla alia ratione, quod esse falsum probant omnia adducta in hac et præcedente sectione; et ipsimet, qui ea ratione utuntur, concedunt Christum ut hominem esse filium Dei naturalem ob gratiam unionis, in quo, vel non consequenter loquuntur, vel (quod potius existimo) non loquuntur de Christo ut homine, eo sensu quo nos loquimur, scilicet, designando formaliter humanitatem ut id in quo convenit Christo talis relatio, sed designando tantum suppositum actu humanitati unitum. Sed si in hoc posteriori sensu loquuntur, sine causa ipsimet negant esse de fide, Christum ut hominem non esse adoptivum, sed naturalem filium, nam oppositum est aperta hæresis Nestoriana et Felicianæ, damnata, in Concilio Francof., ut dicam sectione sequenti. Igitur loquendo in priori sensu de Christo ut homine, ut loquimur, quacumque ratione dicatur esse filius Dei, sive naturalis, sive adoptivus, sive per gratiam, necessario dicendum est, sub ea ratione non dicere relationem ad solam primam personam Trinitatis, sed ad Deum ut Deum, et consequenter ad tres personas ut sunt unus Deus. Probatur, quia Christus ut homo non est filius ex vi generationis æternæ ut sic, sed ex eo quod filiationis quam habuit per generationem æternam, communicata est et unita humanitati; nam ex eo factum est, ut hic homo in ipsa humanitate sit sanctus ex vi unionis, et habens jus ad hæreditatem Dei in ipsa humanitate participandam; sed quod illa relatio filiationis æternæ communicata sit et unita humanitati, est opus totius Trinitatis; ergo relatio filiationis, quæ hinc proxime resultat, est ad Trini-

tatem, ut est unus Deus ad extra operans.

25. Et confirmatur ac declaratur, quia Christus, ut homo, non est genitus ab æterno, sed factus in tempore; ergo, si aliqua relatio filiationis in eo ut sic resultat, non est æterna, sed temporalis; omnis autem temporalis relatio ad Deum, fundata in actione, est ad totam Trinitatem ut est unus Deus, quia omnis actio et effectus ad extra, communis est. Tandem Christus, ut homo, habet beatitudinem a tota Trinitate; ergo ab eadem habet jus ad illam hæreditatem prout intelligitur prius natura esse quam esse beatus; sed ratione hujus juris dicitur filius in quantum homo, vel saltem a posteriori inde recte colligimus esse filium; ergo sub ea ratione relatio filii est ad illum a quo effective habet hoc jus, seu radicem ejus, quæ est hypostatica unio. Denique hoc etiam confirmant et persuadent, quæ superiori sectione dicta sunt, in solutione ad 1.

26. Imo aliqui putant hoc esse definitum ab Adriano Papa, eumque hoc modo exposuisse illa verba Matth. 3 et 17: *Hic est Filius meus dilectus*, etc., dicta scilicet esse, non tantum a prima persona, sed a tota Trinitate, ad Christum ut hominem; sed, quamvis Adrianus Papa ex illo verbo *complacui* colligat, totam Trinitatem comprehendi, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas, non tamen dicit dictum illud referri ad totam Trinitatem, nec loquitur de Christo ut homine, eo sensu quo nos loquimur, sed in alio supra declarato, scilicet ex parte suppositi, unde non est hæc mens definitionis ejus; quæ omnia in sequente sectione latius declarabuntur. Possunt autem probabiliter ad hoc suadendum induci verba Christi Domini, Joan. 20: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum*, juxta expositionem insinuatam sect. præced. Nam, licet probabile sit, Christum loqui ad Patrem primam Trinitatis personam, tamen certum videtur loqui de se ipso ut homine; alioqui non vocaret Deum suum. Sicut ergo esse Deum Christi ut hominis, non convenit soli primæ personæ, sed huic Deo, et omnibus tribus personis quatenus sunt unus Deus, ita illa appellatio et relatio Patris, quæ tribuitur primæ personæ respectu Christi ut hominis, non est propria ejus, sed conveniens Deo ut sic, licet specialiter ei approprietur et attribuat propter specialem auctoritatem originis, quam habet respectu Christi etiam ut Deus est. Sic enim sæpe Christus in Evangelio, loquens ad Patrem per respectum ad seipsum

ut hominem, ei attribuit quod commune habet cum cæteris personis, ut est illud Joan. 14: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, et sæpe alias. Scio, Ambrosium, lib. 10 in Luc., et lib. 1 de Fid. ad Gratianam, cap. 6, aliter hunc locum intellexisse; dicit enim, in verbo illo, *ad Patrem meum*, loqui Christum ut Deum, in illo autem, *Deum meum*, loqui Christum ut hominem. Quæ expositio est etiam probabilis, et facile sustineri potest; sed alia non est cur rejiciatur, quandoquidem uterque respectus potest in Christum ut hominem convenire, et Christus eo loco, eodem tenore verborum de se ipso sub utroque respectu loquitur. Denique, quatenus Christus ut homo est creatura, et aliquid non ab æterno genitum, sed in tempore factum a Patre, illum vocat Deum suum, sicut et est Deus noster quatenus nos creavit; ergo idem Christus ut homo, quatenus a Deo est sanctificatus per gratiam unionis, et per illam habet jus ad gloriam, potest vocare Deum, patrem suum, multo altiori et eminentiori ratione quam nos, quatenus sumus ab illo sanctificati. Hæc ergo relatio non est ad solam personam Patris, sed ad Deum ut sic, et ad tres personas ut sunt unus Deus.

27. Neque in hac veritate, quod ad rem attinet, potest esse difficultas alicujus momenti; nam Concilium Toletanum et D. August. in sensu longe diverso loquuntur; Concilium enim Toletan. XI, in Confes. Fidei, expresse loquitur de Christo quoad generationem humanam; sic enim ait: *Non tamen Spiritus Sanctus pater credendus est Filii pro eo quod Maria, eodem Spiritu Sancto obumbrante, concepit*. Et eodem sensu locutus est August., præsertim in Enchir., c. 38; sic enim ait: *Numquid ideo dicturi sumus, patrem hominis Christi esse Spiritum Sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus Sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset, et Dei Patris Filius secundum Verbum, et Spiritus Sancti filius secundum hominem, quod quasi eum Spiritus Sanctus tanquam pater ejus ex matre Virgine genuisset. Quis hoc dicere audebit?* Et c. 39, reddit rationem dicens: *Non quidquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem rei filius nuncupatur*. Quod variis exemplis confirmat, et est per se satis clarum, quia non omnis causa efficiens, pater proprie appellatur; quamvis ergo Spiritui Sancto attribuat efficientia Christi ut hominis quoad conceptionem mirabilem ex matre, non tamen ea ratione potest



Spiritus Sanctus pater Christi vocari, quia non illam effecit per modum naturalis generationis, sed alio superiori et altiori modo. De filiatione ergo et paternitate humana loquuntur hi Patres, non de filiatione divina, quæ fundatur in gratia unionis, et speciali sanctificatione ab ea proveniente, de qua non meminere. Verum est, in lib. 2 de Trin., cap. 10, generalius locutum esse Augustinum; probat enim, vocem illam: *Tu es Filius meus dilectus*, non nisi de Patre posse accipi, quia *Jesus Spiritus Sancti filius, aut etiam suus filius credi aut intelligi non potest*. Et similiter probat Christum non potuisse dicere illa verba: *Pater, clarifica Filium tuum*, nisi Deo Patri tantum, non Spiritui Sancto, cujus non est filius. Nam, ut illa ratio sit efficax, et expositio necessaria, necesse est intelligi de omni filiatione Christi ut hominis ad Deum.

28. Quapropter addo quod, licet in re Christus ut homo habeat hanc filiationem, tamen in modo loquendi, non potest simpliciter et absolute dici filius suus seu Verbi, quia in hujusmodi locutione absolute dicta denotatur distinctio personarum; unde qui sic loquitur, Christum dividit; sicut supra etiam dicebamus ob hanc causam Christum non posse dici absolute sibi subditum, aut Deum sui ipsius, quamvis certum sit, ut hominem esse et dici posse sibi subditum ut Deo. Respectu autem Spiritus Sancti, quamvis cesset prædictum inconveniens, cum inter Christum et Spiritum Sanctum sit distinctio personarum, nihilominus simpliciter non est ita loquendum: Christus est filius Spiritus Sancti, ne duos Christi patres videamur asserere, ut Concilium Tolet. XI, cit. loco dixit, id est, ne secundum divinitatem videamur asserere, Spiritum Sanctum esse patrem Christi; nam filiatio Christi simpliciter et absolute dicta, et præsertim si addatur filiatio naturalis, est ipsa filiatio æterna, prout habet esse per æternam generationem. Et ob eandem causam, etiam cum illa determinatione, in quantum homo, non est dicendus Christus filius sui aut Spiritus Sancti, nisi etiam ex parte prædicati addatur determinatio secundum gratiam unionis, et maxime quia in illa reduplicatione, in quantum homo, magis indicatur generatio corporalis quam spiritualis per gratiam unionis. Atque hinc a fortiori constat, Christum non posse dici absolute filium Trinitatis, quia Trinitas tres personas comprehendit, unde si Filii et Spiritus Sancti non potest dici filius, nec Trinitatis poterit. At

verò respectu Dei absolute, optime dici potest Christus naturalis filius, tam simpliciter quam in quantum homo, et sive intelligatur ratione æternæ generationis, sive ratione unionis, quia nomen Dei est de se indifferens ad personam Patris, et Filii, vel Spiritus Sancti, sicut etiam absolute dici potest Christus habere Deum, quia distinctio in ea locutione inclusa sufficienter salvatur in persona Patris; est autem prudens consilium, quando in subjecto ponitur Christus cum illa determinatione, in quantum homo, addere etiam in prædicato, esse filium Dei naturalem per gratiam unionis, ut omnis æquivocatio et erroris suspicio auferatur.

29. *Objectio contra superiorem assertionem.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Quarta.* — Sed objiciet tandem aliquis, quod hæc filiatio Christi ut hominis ad Deum, prout a nobis explicata est, impropriissime dicatur filiatio naturalis, cum vix nomen filiationis mereatur. Primo, quia filius naturalis non est nisi qui per naturalem generationem naturam accipit a Patre; sed Christus, ut homo, nec per naturalem generationem procedit a Deo, ut supra de humana ejus conceptione dicebamus, et de ipsa unionis hypostatica constat, non posse dici naturalem generationem, vel per eam accipere vel participare Christum ut hominem naturam divinam; ergo non potest dici naturalis filiatio, quæ per hanc unionem convenit. Secundo, magis distat hæc filiatio a vera et propria filiatione naturali, quam distet ab adoptiva; sed propter differentiam quam habet ab adoptiva, negatur esse adoptiva; ergo ob eandem causam negandum est esse naturalem. Consequentia patet a paritate rationis. Major autem probatur, quia magis distat beatitudo animæ Christi ab essentiali beatitudine divinitatis, quam a beatitudine cujusvis puræ creaturæ, id est, magis ab illa exceditur, quam ipsa reliquis superet. Et similiter jus, quod Christus ut homo habet ad hæreditatem, multo est inferioris rationis respectu juris, quod habet in quantum Deus, quam sit jus filii adoptivi respectu juris Christi ut hominis; talis autem est filiatio, quale est hoc jus. Quocirca, sicut inter gratiam creatam sanctificantem et divinitatem per essentiam inventa est sanctificatio quædam media, quæ est per gratiam unionis, ita non est inconveniens inveniri filiationem mediam, quæ nec sit adoptiva, nec naturalis, sed dicatur per gratiam unionis. Tertio, quia alias sequitur inesse Christo duas filiationes natura-

les ad Deum, et tertiam ad matrem, quod, ut judicetur absurdum, satis est esse inauditum; duas autem tantum hæcenus audivimus in Christo nativitates: unam ex Patre, et alteram ex matre, et duas tantum filiationes naturales, unam ad Deum, alteram ad hominem. Unde hic urgere possumus argumentum ab auctoritate negativa, quo Concilium Francofordiense probat Christum non esse dicendum filium adoptivum, quia nunquam in Scriptura sacra sic appellatur, cum tamen de filiatione ejus frequens fiat mentio; sed similiter nunquam vocatur filius naturalis in sensu a nobis exposito, sed solum ratione æternæ generationis, et respectu primæ personæ Trinitatis; imo ipsummet Concilium Francoford., quod expressius tractavit de hac filiatione Christi ut hominis, nunquam eo modo, quo nos, illam explicuit, sed tantum ex parte suppositi, quod per generationem æternam a Patre procedit; ergo non solum falsum, sed et periculosum videtur, alium modum filiationis naturalis in Christo ut homine introducere. Quarto, quia alias si persona Patris vel Spiritus Sancti incarnata esset, vere dici posset filius Dei naturalis, in quantum homo, quod non est minus inauditum et absurdum; sequela patet, quia in illo homine fuisset idem fundamentum filiationis naturalis, scilicet gratia unionis. Et confirmo tandem, quia etiam videtur sequi, Virginem Mariam dicendam esse filiam Dei naturalem, quia gratia sanctificans non est illi omnino gratis data, sed ex quodam debito ratione divinæ maternitatis, sicut Christo dicitur data ex debito gratiæ unionis.

30. *Responsio.* — *Ad primum.* — Hæc argumenta ostendunt quidem sententiam a nobis expositam non esse omnino certam, neque rem ad fidem pertinentem, ut latius dicam, sectione sequente; non tamen admodum urgent contra illius veritatem, magisque impugnant locutionem seu vocem *naturalis*, quam rem ipsam. Imo, si quid concluderent, non solum probarent Christum, ut hominem, non esse filium naturalem Dei, sed omnino non esse filium Dei. Quod tamen nemo Catholicus aut prudens negare audebit, ut satis videtur sectione præcedente probatum. Igitur ad primum, quod attinet ad nomen filii, quamvis secundum physicam et rigorosam proprietatem solum dicatur de eo, qui ex vi originis in natura vivente similis est principio a quo procedit, certum est tamen, secundum quamdam analogiam et proportionem extendi ad

significandum eum, qui jus filii imitatur aut participat in ordine ad hæreditatem paternam. Quæ ratio filiationis tanto erit perfectior, quando hoc jus fuerit excellentius, et maxime si conjunctum fuerit cum vera et reali processione ejus, qui filius nominatur, ab eo ejus dicitur filius. Fatemur igitur, Christum, ut hominem, in eo sensu quo loquimur, scilicet, formaliter specificando naturam humanam, non dici filium Dei cum eo rigore et proprietate, quo dicitur Filius secundum naturam divinam, quia in quantum homo est minor Patre, unde non est ei æqualis, nec in natura similis; dicitur ergo filius secundum analogam rationem, quia per ipsammet filiationem naturalem, etiam in quantum homo, sanctificatur, et jus habet ad divinam hæreditatem, etiam in humanitate, seu per humanitatem obtinendam, quæ ratio filiationis, licet non sit tam propria et perfecta, sicut est ipsa filiatio æterna secundum se, est tamen perfectior quam sit filiatio hominum et Angelorum per gratiam justificantem, ut satis ex sectione præcedente constat.

31. Quod autem spectat ad denominationem *naturalis filii*, constat ex philosophia posse multis modis *naturale* dici, atque ita posse in eo termino laborari in æquivoco; inter alias vero acceptiones una et satis Theologica est, qua *naturale* dicitur id, quod est a natura congenitum, et maxime quando id est ex vi conceptionis seu productionis, et ab aliquo principio intrinseco, quomodo verissime, dicitur Christus, etiam ut homo, naturaliter sanctus, juxta verbum Angeli, Luc. 1: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*. De qua acceptione et aliis dictum est supra, q. 2, art. 12. Hoc ergo modo recte dicitur Christus, ut homo, filius Dei naturalis per gratiam unionis, non solum quia a principio suæ conceptionis habuit hanc filiationem, id enim ad proprietatem locutionis non sufficit (alias etiam Beata Virgo esset filia Dei naturalis, et Angeli similiter), sed quia ita habuit a principio, ut et ipsa unionis gratia intrinseca illi fuerit, quia per illam quasi formaliter constituitur hic homo Christus, ut Christus est, et rursus quia ex vi ejusdem unionis habet illam sanctificationem et illud jus ad hæreditatem æternam, a quibus filius denominatur. Ad primam ergo objectionem absolute potest negari major propositio, si in sensu exclusivo intelligatur, scilicet non esse alium modum naturalis filiationis, præter eum qui est per naturalem generationem. Si